

neque supersit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset majestatem minuere. Etenim definitio primum deprehenso verbo uno, aut addito, aut demto, saepe extorquetur e manibus; deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem; tum in sensum et in mentem judicis intrare non potest. Ante enim praeterlabitur, quam percepta est.

De orat. I. 49. — Id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut, quid illud sit, de quo disputatur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem illud, quo de agitur, intelligent. Nam, si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset *imperator*: qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi; quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem; uterque exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hannibalem, atque ejus generis homines nominarem. Sin autem quaereremus, quis esset is, qui ad rem publicam moderandam usum et scientiam et studium suum contulisset, definirem hoc modo: qui, quibus rebus utilitas rei publicae pararetur augereturque, teneret, iisque uteretur; hunc *rei publicae rectorem*, et consilii publici auctorem esse habendum; praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Tib. Gracchum patrem, et Q. Metellum, et P. Africanum, et C. Laelium, et innumerabiles alios tum ex nostra civitate, tum ex ceteris. Sin autem quaereretur, quisnam *juris consultus* vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum et ad scribendum, et ad cavendum,